

putat. Fluunt enim, et in assidua diminutione atque adjectione sunt.

Senec. Epist. 95. Nro. 58—65. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis. Ad verum sine *decretis* non pervenitur: continent vitam. Bona et mala, honesta et turpia, justa et injusta, pia et impia, virtutes ususque virtutum, rerum commodarum possessio, aestimatio ac dignitas, valetudo, vires, forma, sagacitas sensuum, haec omnia aestimatorem desiderant, quanti quidque in censum deferendum sit. Falleris enim, et pluris quaedam, quam sunt, putas: adeoque falleris, ut quae maxima inter vos habentur, divitiae, gratia, potentia, sestertio nummo aestimada sint. Hoc nescies, nisi constitutionem ipsam, qua ista inter se aestimantur, inspexeris. Quemadmodum folia virere per se non possunt; ramum desiderant, cui inhaereant, ex quo trahant succum: sic ista praecepta, si sola sunt, marcent; infigi volunt sectae. Praeterea, non intelligunt hi qui decreta tollunt, eo ipso confirmari illa, quo tolluntur. Quid enim dicunt? praeceptis satis vitam explicari, superflua esse decreta sapientiae, id est, dogmata. Atqui hoc ipsum quod dicunt, decretum est: tam hercule, quam si nunc ego dicerem, recedendum esse a praeceptis supervacuis, et in haec sola studium conferendum: hoc ipso, quo negarem curanda esse praecepta, praeceperem. Quaedam admonitionem philosophiae desiderant, quaedam probationem, et quidem multa; quia involuta sunt, vixque summa diligentia ac summa subtilitate aperiuntur. Si probationes necessariae sunt; et decreta, quae veritatem argumentis colligunt. Quaedam aperta sunt, quaedam obscura. Aperta, quae sensu comprehenduntur, quae memoria: obscura, quae extra haec sunt. Ratio autem non impletur manifestis; major ejus pars pulchriorque in occultis est. Occulta probationem exigunt, probatio non sine decretis est: necessaria ergo decreta sunt. Quae res communem sensum facit, eadem perfectum, certarum rerum persuasio; sine qua omnia